




**IMAGE EVALUATION
TEST TARGET (MT-3)**



**Photographic
Sciences
Corporation**

23 WEST MAIN STREET
WEBSTER, N.Y. 14580
(716) 872-4503



**CIHM/ICMH
Microfiche
Series.**

**CIHM/ICMH
Collection de
microfiches.**



Canadian Institute for Historical Microreproductions / Institut canadien de microreproductions historiques



© 1983

Technical and Bibliographic Notes/Notes techniques et bibliographiques

The Institute has attempted to obtain the best original copy available for filming. Features of this copy which may be bibliographically unique, which may alter any of the images in the reproduction, or which may significantly change the usual method of filming, are checked below.

L'Institut a microfilmé le meilleur exemplaire qu'il lui a été possible de se procurer. Les détails de cet exemplaire qui sont peut-être uniques du point de vue bibliographique, qui peuvent modifier une image reproduite, ou qui peuvent exiger une modification dans la méthode normale de filmage sont indiqués ci-dessous.

- | | |
|--|--|
| <input type="checkbox"/> Coloured covers/
Couverture de couleur | <input type="checkbox"/> Coloured pages/
Pages de couleur |
| <input type="checkbox"/> Covers damaged/
Couverture endommagée | <input type="checkbox"/> Pages damaged/
Pages endommagées |
| <input type="checkbox"/> Covers restored and/or laminated/
Couverture restaurée et/ou pelliculée | <input type="checkbox"/> Pages restored and/or laminated/
Pages restaurées et/ou pelliculées |
| <input type="checkbox"/> Cover title missing/
Le titre de couverture manque | <input checked="" type="checkbox"/> Pages discoloured, stained or foxed/
Pages décolorées, tachetées ou piquées |
| <input type="checkbox"/> Coloured maps/
Cartes géographiques en couleur | <input type="checkbox"/> Pages detached/
Pages détachées |
| <input type="checkbox"/> Coloured ink (i.e. other than blue or black)/
Encre de couleur (i.e. autre que bleue ou noire) | <input checked="" type="checkbox"/> Showthrough/
Transparence |
| <input type="checkbox"/> Coloured plates and/or illustrations/
Planches et/ou illustrations en couleur | <input type="checkbox"/> Quality of print varies/
Qualité inégale de l'impression |
| <input type="checkbox"/> Bound with other material/
Relié avec d'autres documents | <input type="checkbox"/> Includes supplementary material/
Comprend du matériel supplémentaire |
| <input type="checkbox"/> Tight binding may cause shadows or distortion
along interior margin/
La reliure serrée peut causer de l'ombre ou de la
distortion le long de la marge intérieure | <input type="checkbox"/> Only edition available/
Seule édition disponible |
| <input type="checkbox"/> Blank leaves added during restoration may
appear within the text. Whenever possible, these
have been omitted from filming/
Il se peut que certaines pages blanches ajoutées
lors d'une restauration apparaissent dans le texte,
mais, lorsque cela était possible, ces pages n'ont
pas été filmées. | <input type="checkbox"/> Pages wholly or partially obscured by errata
slips, tissues, etc., have been refilmed to
ensure the best possible image/
Les pages totalement ou partiellement
obscurcies par un feuillet d'errata, une pelure,
etc., ont été filmées à nouveau de façon à
obtenir la meilleure image possible. |
| <input type="checkbox"/> Additional comments:/
Commentaires supplémentaires: | |

This item is filmed at the reduction ratio checked below/
Ce document est filmé au taux de réduction indiqué ci-dessous.

10X	14X	18X	22X	26X	30X
<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>	<input checked="" type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>
12X	16X	20X	24X	28X	32X

The
to th

The
poss
of th
filmi

Orig
begi
the l
sion,
othe
first
sion,
or ill

The
shall
TINU
which

Maps
differ
entire
begin
right
requi
meth

The copy filmed here has been reproduced thanks to the generosity of:



National Library of Canada

The images appearing here are the best quality possible considering the condition and legibility of the original copy and in keeping with the filming contract specifications.

Original copies in printed paper covers are filmed beginning with the front cover and ending on the last page with a printed or illustrated impression, or the back cover when appropriate. All other original copies are filmed beginning on the first page with a printed or illustrated impression, and ending on the last page with a printed or illustrated impression.

The last recorded frame on each microfiche shall contain the symbol \rightarrow (meaning "CONTINUED"), or the symbol ∇ (meaning "END"), whichever applies.

Maps, plates, charts, etc., may be filmed at different reduction ratios. Those too large to be entirely included in one exposure are filmed beginning in the upper left hand corner, left to right and top to bottom, as many frames as required. The following diagrams illustrate the method:



L'exemplaire filmé fut reproduit grâce à la générosité de:

Bibliothèque nationale du Canada

Les images suivantes ont été reproduites avec le plus grand soin, compte tenu de la condition et de la netteté de l'exemplaire filmé, et en conformité avec les conditions du contrat de filmage.

Les exemplaires originaux dont la couverture en papier est imprimée sont filmés en commençant par le premier plat et en terminant soit par la dernière page qui comporte une empreinte d'impression ou d'illustration, soit par le second plat, selon le cas. Tous les autres exemplaires originaux sont filmés en commençant par la première page qui comporte une empreinte d'impression ou d'illustration et en terminant par la dernière page qui comporte une telle empreinte.

Un des symboles suivants apparaîtra sur la dernière image de chaque microfiche, selon le cas: le symbole \rightarrow signifie "A SUIVRE", le symbole ∇ signifie "FIN".

Les cartes, planches, tableaux, etc., peuvent être filmés à des taux de réduction différents. Lorsque le document est trop grand pour être reproduit en un seul cliché, il est filmé à partir de l'angle supérieur gauche, de gauche à droite, et de haut en bas, en prenant le nombre d'images nécessaire. Les diagrammes suivants illustrent la méthode.


plaire
Les détails
niques du
ent modifier
exiger une
de filmage

ed/
tiquées

ntaire

d by errata
lmed to

ment
, une pelure,
e façon à
le.



466
A. no. n.
SPECIMEN ACADEMICUM

DE

ESQUIMAUX,
GENTE
AMERICANA,

QUOD

IN REGIO FENNORUM LYCÆO,

Consent. Ampliff. Facult. Philos.

Sub UMBONE

VIRI Ampliff. atque Celeberrimi

D^N. PETRI KALM,

Oeconom. PROFESS. Reg. & Ord. item

Reg. Scient. Acad. Holm. MEMBRI,

Placide eruditorum discussioni submititur

AB

ANDREA ABRAHAMI INDRENIO,

TAVAST.

Ad Diem XIX. Junii, Anni currentis MDCCLVI.

Loco horisque consuetis.

ABOÆ, Impressit Direct. & Typogr. Reg. Magn. Duc.
Finland. JACOB MERCKELL,


Viro Plurimum Reverendo atque Clarissimo,
**D^N. ABRAHAMO E.
INDRENIO,**

*Pastori Ecclesiae, quae Deo in ~~Reuru~~ colligitur, me-
ritissimo, Parenti Indulgentissimo, Filiali pietate &
reverentia ad urnam usque prosequendo.*

I*ngrato mihi profecto vivendum moriendumque foret, si op-
portunam hanc, gratissimum erga Te animum declarandi,
occasionem e manibus dimitterem. Beneficia enim, Parens
Optime, quae inde a vitae meae exordio in me contulisti, tan-
ta omnino sunt, ut eorum uberitatem nec exaequare dicendo, nec
cogitando quidem satis adsequi possim. Probe igitur video, re-
munerationem nullam tantam esse, quae Tuis in me meritis ac
beneficiis plurimis maximisque, & quibus omnibus enumerandis
me imparem lubens agnosco, par futura sit; nihilo secius, cum
piae gratitudinis ac reverentiae meae majus meliusque non sup-
petat indicium, Chartaceum hoc munusculum Tibi, Parens In-
dulgentissime, filiali mentis devotae cultu offerre non dubito.
quod, ut ea, qua soles, serena & benigna fronte excipias, hu-
millime rogo. Suscite illud, quod Tibi Tuaeque liberalitati de-
beo, ut specimen Tuae in me indulgentiae, meaeque erga Te
pietatis ac venerationis. De caetero non intermittam ad Deum
Ter Opt. Max. vota fundere supplicia, ut Te, Parens Indulgen-
tissime, in reipublicae & Ecclesiae emolumentum, & nostrum quot-
quot Tui sumus, fulcrum & columen firmissimum, & sartam tectum-
que conservent propicia fata, & non nisi annorum satorum Ce-
litum consortio transcribant. Permanebo ad rogam*

Parentis Indulgentissimi

Filius obedientissimus,
ANDREAS A. INDRENIUS.



I. N. 7.

§. I.

Post diluvium universale, cum ita cresceret hominum multitudo, ut angustus Armeniæ aut Mesopotamiæ angulus eos non caperet, nec illis alendis amplius sufficeret, nec post *πυρροποιαν* Babelicam, linguis ipsorum confusis, apte & jucunde magis cohabitare possent; necesse omnino fuit, ut quidam solum natale desererent, & ad loca illinc remotiora sensim se conferrent. Europam & Africam circa vel statim post hæc tempora incolas accepisse pro certo habetur, utpote quæ utraque mundi pars (ut notissimum est) non longe ab Asia, prima & antiquissima hominum sede, dissita, nec ab eadem vallis marium anfractibus disjuncta est. De antiquitatis laude semper fere multas gentes inter se contendisse constat, (a) & plerasque hanc gloriam sibi tribuere voluisse, e. g. de Arcadibus, partem Peloponesi incolentibus refertur; quod semet *προσλήτας* i. e. luna & astris priores esse gloriati sint: Athenien-
A ses

ses quoque, ut testatur Herodotus aliique se ipsos
εὐπεχθονας καὶ γηγενεις h. e. regionis suæ Aborigines
 & ex ipsa terra enatos dicebant: Corinthi quæ
 Ephyre prius dicta fuerat, teste Ouidio Lib. Me-
 tam. VII. v. 393. 394.

*Ævo veteres mortalia primo
 Corpora vulgarent phœviakibus edita fungis.*

De hujusmodi vero quid sentiendum sit fabu-
 lis, huius loci non est excutere, & crediderim eas
 unicuique, cui sanum sinciput, etiam primo intui-
 tu absonas videri, statimque patere, easdem ab
 ipsis Græcis *φιλομύθοις*, Historia Mosaica destitutas,
 ideo adfictas esse, ne primam suam originem, cu-
 jus memoriam successu temporis penitus fere ami-
 serant, ignorasse viderentur: cum certo certius
 constet, & saniores quoque gentilium agnoverint
 totum genus humanum ex communi stirpe proge-
 nitum, & procedente tempore circa totum terra-
 rum orbem dispersum esse. Quo vero tempore,
 & qua occasione, una quæque regio vel pars,
 antiqui scil. orbis, suos nacta sit habitatores, cum
 hæc res sit ab omni memoria remotissima, & præ-
 terea multis fabularum involucris obtecta, satis
 accurate definiri nequit, nec hoc ad nostrum nunc
 pertinet propositum. In novum orbem, Ameri-
 cam puta, quo ævo migraverint homines, ob de-
 fectum tam indigenarum, quam exterorum scripto-
 rum (quantum huc usque cognitum est) prorsus
 est incertum, & voluminis non paucarum pagel-
 larum

larum materies effe; si tantummodo eruditorum hac de re sententias aut potius conjecturas enumerare vellemus. Quidam enim Phœnicibus, alii Cananæis, arma Josuæ fugientibus; alii Scythis sive Tataris, alii Chinensibus ac Japonibus; alii Israëlitis a Rege Assyriorum Salmanasser, in loca Persiæ & Mediæ inculta traductis, alii quoque Norvegis Americanos originem suam debere existimant. Benedictus Arias Montanus non solum Ophir Salomonis in novo hoc orbe detexit, sed & Jaketan filium Eberi, qui memoratur Gen. X: 25. imperium Peruanorum & urbem eorum Juktan fundasse existimavit, præterea regnum Mexicanum, quod Ophir Salomoneum esse supposuit, ab Ophir filio Jaketani conditum esse statuit, addidit quoque in sententiæ suæ robur, altissimos illos montes Americæ, qui Andes vocantur, & totum Peru & Chili ab orientali parte terminant, esse Sephar montem orientalem, quo usque Moses posteros Jaketani citato loco habitasse asserit; verene an secus, aliorum esto judicium. Nonnulli, cum gentes Americanas lingua, colore corporis, moribus & tota fere vitæ ratione ab antiqui orbis habitatoribus differre viderent, ideoque quod barba plerumque destituantur Americani, eo audaciæ processerunt, ut eos a communi cum veteris orbis hominibus stirpe ortos esse negarent: at hæc tanti non sunt; multi enim reliquarum orbis partium incolæ æque linguis plane diversis utuntur, mores quoque & consuetudines apud singulos fere

populos, etiam maxime vicinos, multum variant: Quid igitur mirum, si Americanorum mores, a veteris orbis, præsertim Europæorum, moribus diversi sint, de quibus tanto temporis intervallo nullam plane habuerunt cognitionem, & ad quorum primum adventum ita obstupuerunt, ut eos (Europæos) vel a mari ortos, vel a sole illuc missos esse putarent; cumque ipsos vestitos & barbatos, nec non naves ipsorum intuerentur, has non nisi divina arte factas esse crediderunt; hominem quoque equo insidentem, animal unicum & indiscretum esse putarunt, quemadmodum de Centauris finxerunt Poëtæ. Interim ex ipsa hac lingvarum & morum discrepantia (nec non ex eo, quod tam immensa hominum multitudine ante adventum Europæorum abundaverit America, præsertim a partibus meridionalibus & occidentalibus, qui tamen immani crudelitate ab Hispanis fere deleti sunt) quodammodo demonstrari posse crediderim, Americam etiam primis post diluvium sæculis, æque ac alias orbis partes incolas accepisse: Vix enim credibile est, tam ingentem mundi partem Noacho & primis patribus fuisse ignotam, si vero cognita ipsis fuit, utique mandato Dei, qui totum orbem eos implere iussit Gen. IX: 1. morem gerere voluisse sunt censendi. Ipse Noachus, qui arcam, qua homines tempore famosæ illius inundationis servabantur, extruxerat, hoc ipso satis declaravit, artem navigia ædificandi sibi apprime fuisse cognitam, quidni ergo eandem filios ac nepotes suos, cum
qui.

bus 350. annis post κατακλυσμὸν vixit, conducere potuerit? Sequioribus autem temporibus hæc ars in desuetudinem abire potuit, utpote cum non amplius adeo esset necessaria, omnibus enim terræ partibus inhabitatis, cum vicinioribus commercia instituere potuerunt mortales, quibus quoque in primæva illa simplicitate facile carere poterant. Præterea si vera sunt, quæ recentiores quidam asserunt, Americam nimirum parti Asiæ versus Euro-aquilonem sitæ nominatim Tataricæ, aut plane adhærere, aut freto quodam saltem disjunctam esse, hinc quoque facillime illuc transire potuerunt homines, minorique temporis intervallo, quam in extremas Europæ & Africæ oras. Quod tam barbari & inculti ante adventum Europæorum fuerint, antiquitati eorum nihil derogare crediderim, nam tales ante aliquot sæcula plerique fuerunt populi Europæi. Per tempestates, naufragia & alios ejusmodi casus improvisos, in quasdam Americæ oras, æque ac alias orbis partes, primos de vectos esse colonos, dubium non est; cumque in terras hujusmodi omni humano cultu vacuas hoc modo delati essent, varia utique suppellectili caruerunt, ipsaque tunc necessitas talem, qua utebantur, vitæ rationem eos eligere coëgit. Color eorum rufescens, & quod barbam plerumque non gerant, controversiam de illorum origine ingredi non debet, nam color veteris orbis hominum quoque variat: præterea Americani pilos, si qui in facie oriri cœperint, vossellis plerumque evelunt.

Iunt. Quidam Americani hanc de sua origine à majoribus traditionem se accepisse tradunt, nimirum Oceanum ab initio cuncta tenuisse, postea feminam quandam, quam Ata Entsik vocant, e cœlo dejectam, diu in aëre pependisse, donec tandem delphinus eam tergo suo exceperit; post aliquod tempus virum quendam a sole illuc missum esse fingunt, atque ab his se ortos esse credunt: Interim ex humo, argilla, arena aliisque quisquiliis circa delphinum paulatim congregatis, ingens illa terra, quæ America hodie dicitur, successive excrevisset. Dii meliora! Peruani insignem quendam virum, quem Con vocant, ab aquilone in eam regionem mira pedum celeritate olim venisse ferunt, & priscos ejus inhabitatores creasse. Postea alter, quem Pachacama dicunt, & æque ac priorem sole & luna ortum esse ferunt, ab Austro illuc accessisset, Con vero ejus adventu disparuisset. Hic Pachacama homines ab illo, scilicet Con creatos, in leones utrosque, aves aliaque animalia transmutavit, majoresque Peruanorum, qui hodie supersunt, condidit. Hunc deinde pro Deo coluerunt, templumque ipsi ædificaverunt: præterea usque ad adventum Christianorum eum visum fuisse referunt (b). Sed hæc pluribus persequi vetat instituti nostri ratio, cum de populo quodam Americæ Septentrionalis *Esquimaux* dicto, & ab omnibus cæteris Americanis, etiam maxime finitimis plane diverso, eorumque moribus & vitæ ratione, quantum a variis Itinerariis & Celeb. D. Præsi-

Præsidis observationibus colligere potuimus, pau-
cis agere constituimus, omnia enim eorum insti-
tuta nondum plane cognosci potuerunt; quod
dum facere adgredimur, tuum L. B. Rhadaman-
them iudicium, qua par est observantia expeti-
mus.

(a) vid. quæ narrat de Scythiis & Aegyptiis Ju-
stinus Lib. II cap. I. de Phrygiis & Aegyptiis Hero-
dotus Lib. II. initio. Adhæc singula fere gentes a
Diis Deorumque filiis, quos aurea Saturni etate vi-
xisse fingunt, suam repetere solebant originem.

(b) vid. Urb. Calvetonis Novi orbis Historiam,

§. II.

ESQUIMAUX illi Americæ Septentrionalis incolæ
dicuntur, qui in terra Laborador, quæ sita
est inter fluvium S:ti Laurentii & sinum Hudsonis,
habitant; ad gradum Latitud. 50. & quod excur-
rit. Origo nominis eorum non est admodum cer-
ta, attamen veri videtur simile, quod descendat
a vocabulo *Esqumantfik*, quod populo Americano
Abenaqui dicto sonat, *crudam carnem edere.* (a) Re-
vera quoque soli sunt, quantum cognitum est,
qui inter Americanos Septentrionales cruda carne
vescuntur, quamvis etiam interdum eam coquere
vel sole torrere dicantur. Agreste profus hoc est
hominum genus, & inter omnes Americanos Ca-
nadenses maxime incultum, adeo ut nulla gens
magis

magis ideæ illi, quam de feris & sylvestribus hominibus habere quis posset, satisfecerit. A cæteris Americanis etiam finitimis plane sunt diversi, nec ullo modo cum extraneis conversari volunt, & nullos Europæos in terram suam ascendere patiuntur, nec cum illis loqui volunt, sed vel aufugiunt, vel omnes Europæos, qui ad littora eorum appellunt, interficiunt, si sese eos superaturos credant. Barbam, qua cæteri Americani fere carent, maximam habent eamque adeo spissam, ut oculi vix appareant. Sunt præterea aspectu prorsus horridi, oculi illis sunt parvi, iique nigri & vegeti, crines atrii semperque inordinati, dentes lati & impuri. Fortes sunt & robusti, nec non plerumque pingues. Statura sunt mediocri, magno capite, facie rotunda & plana, latis humeris, manibus autem & pedibus admodum exilibus præditi sunt. (*b*) Sunt porro feroces, sævi, inquieti, semper prompti ad depopulandos extraneos, protervi, verum simul quoque timidissimi, suspicacissimi, magnasque adhibent circa omnia cautelas. Sæpe nocturno tempore naves, quæ juxta eorum littora in ancoris tenentur, petere visi sunt, ut rudentibus defectis, navibusque sic ibi ad scopulos collisis, omne ferrum quod ibi reperiunt, auferant, & ad varia instrumenta adhibeant. Color illorum diversus est a reliquorum Americanorum, qui rufescentes sunt, Esquimaux autem quoad colorem æque albi sunt, ac Europæi: mulieres eorum, quas satis formosas esse ferunt, nullum extraneum sese

sefe tangere patiuntur. Adhuc perdomari, aut ad mores cultiores transferri, nec a Gallis, qui omnes fere eorum vicinos in Canada vel subegerunt, vel amicissimos sibi reddiderunt, nec ab aliis Europæis potuerunt. Galli aliquot eorum infantes captos educaverunt, eosque legere & linguam Gallicam loqui docuerunt, ut ope horum postea commercium cum illis instituere possent; verum hi infantes omnes morbo correpti perierunt, præter unum, quem deinde ad conterraneos ejus miserunt, nunciaturum quam amice a Gallis fuerit habitus, verum minus felici successu, statim enim ab illis (Esquimaux) occisum audiverunt. Licet cum nullis extraneis amicitiam colant, tamen interdum ad naves Europæorum ossa balænarum, nec non pelles phocarum aliorumque animalium adferunt, & secures, cultros, ferras aliaque instrumenta ferrea sibi permutant: Imo aliquando in nave Anglorum, ubi merces suas hoc modo vendidissent, tam viri quam feminæ omnia fere velamenta exuerunt, ut eadem cum hujusmodi aliisque instrumentis ferreis permutarent, (c) plurimum enim se hac ratione lucrari crediderunt. Quando in navibus Europæorum mercantur, tam viri quam feminæ ingentem edunt clamorem (d): singularis quoque mos ipsis est, omnia quæ ab Europæis accipiunt, prius lingere, quam in cymbam suam ea deponant (d). Quod ad mores & gestus illorum attinet, alacres sunt & expediti, verum perfidi, callidi, maximique perhibentur esse

adulatores, nemini parcentes, si interficiendi occasionem fuerint adepti; Ideo Europæi cum illis mercantes sedulo cavent, ne multos eorum simul in navem ascendere patiantur, plures enim illuc dimissi, facillime eo adducuntur, ut nautas omnes e medio tollant. Signis omnia cum illis agunt Europæi, quandoquidem linguam eorum non intelligunt. Ad insulam Terre Neuve dictam, & freto tantum quodam e regione Esquimaux disjunctam, (quæ vulgo inhabitata esse fertur, (f) licet Finlandiam nostram magnitudine æquare dicatur) hi Esquimaux quoque æstate piscari solent, non minus ac Galli aliique Europæi. Alii Americani hunc populum continuis fere bellis laceffere solent, quo factum est, ut ad ingentem multitudinem crescere haud potuerit.

(a) *P. Charlevoix Tom. V. p. 263.* (b) *Ellis Voyage to Hudsons Bay. pag. 131.* (c) *Ibidem* (d) *A voyage to Hudsons bay by the Clerck of California pag. 28.* (e) *Ellis Voyage to Hudsons bay pag. 131.* (f) *P. Charlevoix Tom. V. pag. 262.*

§. III.

QUOD hi Esquimaux colore sint albo, quod barbam eamque valde promissam gerant, quod facie, lingua, moribus & vitæ ratione ab aliis Americanis differant, quodque nullum fere commercium cum eis habere velint, hæc, inquam, omnia
fatis

fatis ostendunt, illos diversam a reliquis Americanis habere originem. Illa autem opinio, quam nonnulli præcipue Galli fovent, quod scilicet a Biscajis descendant, non firmo videtur niti talo, quandoquidem ne minima quidem inter linguas ipsorum reperitur convenientia. Veri simile autem videtur, quod a Grønlandis originem ducant (a), quoniam cum his tam quoad formam, quam omnem fere vitæ rationem maxime conveniunt. Quo autem tempore illic e Grønlandia trajecerint, cum nulla prorsus hujusmodi migratio fama celebretur, nec monumentis annalium mandata sit, ipsique omni careant cognitione litterarum, mirari non convenit, si hoc certo determinari nequeat. Recentior tamen esse videtur hæc migratio, quoniam in tam vasta regione ad majorem numerum augeri non potuerunt, licet bellis quoque, ut supra dictum, ad incitas redigi dicantur. Quid ipsi de sua origine sentiant, & quo nomine sese appellare soleant, cum nemini fere in earum regionem sit aditus, nec alii linguam illorum bene intelligant, huc usque cognosci non potuit. Patriam & mores suos incredibiliter amant, e. g. Angli puerum quendam ex illis, in colonia sua juxta finem Hudsonis aliquo temporis spatio educatum, cibo suo ac vitæ generi assuefecerunt; cumque aliquando Angli phocæ euidam captæ pellem detrudere cœpissent, unde pinguedo (tran) magna copia defluebat, puer pinguedinem hanc manibus, quantum potuit colligens edebat, dicens: utinam

adhuc in patriam meam perveniens, hac dulci pinguedine me saturare possem. (b) Suos quoque ad aliquod tempus a peregrinis detentos, si domum revertantur, confestim interimere dicuntur, ne moribus peregrinis corrumpantur, vel extraneis hi occasionem præbeant illos subigendi, quod etiam exemplo infantis a Gallis educati, & ad ipsos remissi, (de quo supra) colligi potest. Ultra fretum Hudsonis boream versus Esquimaux etiam habitant, verum horum de meliore luto præcordia finxisse videtur Titan (e), licet lingua omnique vitæ ratione cum Esquimaux in Terra Laborador habitantibus conveniant. Cum enim Anglorum navis aliquando inter scopulos hæreret, hi Esquimaux lembis suis ad illos remigantes, manumque innuentes viam ipsis monstrarunt, quo se expedire possent. Hi Esquimaux quoque varia instrumenta Mechanica invenisse dicuntur, quæ sine dubio, dura matre indigentia didicerunt (d). Iidem uxores suas extraneis libenter prostituere dicuntur, credentes, liberos istos præstantes & bonæ indolis evadere (e)

(a) Charlevoix Tom. V. pag. 262. (b) Ellis Voyage to Hudsons bay. pag. 133. (c) Ibid. pag. 227. (d) Ibid. pag. 231. (e) Ibidem pag. 235.

§. IV.

Americani cæteri nudi plerumque incedere solent, Esquimaux autem etiam media æstate ita

ita sunt vestiti, ut vix facies & extrema pars manuum appareat. Pellicea veste, ut ad corpus tutandum commodissima, tantum non omnes gentes priscis temporibus usas esse constat, qui mos apud Esquimaux hodie adhuc obtinet. Omnia vestimenta ex pellibus animalium, præcipue phocarum, pauci quoque ex pellibus cervorum, & urforum nec non avium quarundam tam terrestrium quam aquaticarum, satis artificiose conficiunt (a). Quidam camisas ex vesicis phocarum & intestinis avium habent, quoad formam similes fere camisiis Europæorum (b). Vestimenta virorum ita sunt confecta, ut tunica, femoralia, tibialia & calcei cohæreant, unamque quasi vestem constituent: caput quoque eadem veste tegunt. Ocreas aliquando duplices imo triplices habere dicuntur, quod tamen non impedit, quo minus agiles sint, negotiaque sua promte exsequi queant. Vestes feminarum ita conficiuntur, ut pileus, thorax & amiculum itidem cohæreant; amiculum a parte anteriori non nisi ad genua extenditur, sub hoc autem camisas aliaque velamenta habent; Amiculo a parte posteriori pendulum (slap) quartam ulnæ partem latitudine æquans adaptatum est; Ocreis quoque utuntur maximis, & in illis infantes suos quandoque gestare solent (c). Omnes pelles, ex quibus velamenta sua conficiunt, valde molles sunt, & optime paratæ. In vestibus superioribus tam virorum quam feminarum, ex pellibus phocarum & avium consutis, pili & plumæ extrorsum versi

B 3

sunt,

sunt, in vestibis autem interioribus contra. Pelles avium etiam in ocreis interdum gerunt, plumis introrsum versis (*d*). Particulas pelliceas diversi coloris vestibis suis ornamenti causa adaptare solent. Omnia hæc vestimenta scite prorsus & eleganter confarciunt, pro filo nervis cervorum & balænarum utentes, acubus autem osseis, quamvis his temporibus ferreis quoque gaudeant. Corpori hæc vestes solerter sunt aptatæ, (*e*) tamque bene & valide confutæ, ut aqua easdem penetrare nequeat, licet ad lacertos usque sæpe aquis inambulent. Hæc omnia a mulieribus conficiuntur. Esquimaux in auribus non utuntur, nec faciem suam, ut cæteri Americani, pingere solent. Acutissimum inventum *oculi nivei* ipsorum sunt, (*f*) quibus vernali tempore, oculos suos contra candorem nivis, e repercussis solis radiis ortum, muniunt; facti autem sunt a ligno vel ossibus satis artificiose, & ligamento capiti alligati. Persæ in hunc finem serico nigro (*flor*) utuntur. His oculis niveis Esquimaux, æque ac Europæi conspiciunt, sunt adfueti. Ultra fretum Hudsonis habitantibus pilei ex cauda boum sylvestrium sunt, (*g*) cujus pili faciem ipsorum obtegunt; quæ velamenta capitis licet oculos non delectent, utilissima tamen ipsis sunt propter culices, qui ibi numerosissimi sunt & maxime infesti.

(*a*) *Ellis Voyage to Hudsons bay. pag. 135. A Voyage to Hudsons bay by the Clerck of California v. I. pag.*

pag. 25. (b) *Ellis Voyage to Hudsons bay. pag. 136.*
 (c) *Ibid.* (d) *A Voyage to Hudsons bay by the Clerck
 of California v. 1. pag. 25.* (e) *Ellis Voyage to Hud-
 sons bay pag. 231.* (f) *Ibidem pag. 136.* (g) *Ibid. p.
 232.*

§. V.

Americani Septentrionales scaphis utuntur ex
 cortice betulæ, castaneæ & ulmi confectis,
 Esquimaux autem etiam hac in re ab eis sunt di-
 versi; cymbas enim suas ex pellibus phocarum con-
 farciunt, easque raro majores, quam ut unus sal-
 tem vir iis navigare queat. Pilos eis pellibus, ex
 quibus cymbæ faciendæ sunt, deradunt, eandem-
 que partem pellis exteriorem constituunt; ab interi-
 ori parte, instar pergamenti læves sunt. Hujus-
 modi cymbam pelliceam Quebeci in Canada vidit
 Celeb. D. Præses, cujus longitudo 15. pedum erat,
 satis autem angusta, & ad utrasque extremitates
 acuta videbatur. Ab interiori parte asseres lignei
 tenuissimi, ab utroque latere in figuram debitam
 eam cogunt. Tota cymba etiam pellibus oblecta
 est, præter foramen quoddam tantæ magnitudinis,
 ut pedes usque ad lumbos inde in cymbam im-
 mittere possis, ibique federe & remigare. For-
 men hoc, quod in parte cymbæ anteriori sive
 prora factum est, figura fere semicirculi asseribus
 circumdatur, basi majorem cymbæ partem sive
 puppim spectante. Præterea foramini huic pellis
 quædam alligata est, quam in cymba sedentes, circa
 lum-

Pel-
 blu-
 di-
 pta-
 &
 n &
 nvis
 pori
 ene
 ne-
 am-
 tur.
 iem
 Acu-
 (f)
 can-
 mu-
 ar-
 in
 s o-
 nspi-
 tan-
 (g)
 nen-
 ta-
 ofis-
 . A
 v. I.
 pag.

lumbos accurate ligamento pelliceo constringunt, ita ut nihil porfus aquæ in cymbam influere queat. Remo tantummodo unico utuntur, qui in utraque extremitate figuram remi obtinet; hoc cymbam suam propellunt, eoque etiam in maxima tempestate, æquilibrium solertissime tenere sciunt: tam procul enim a litore, his cymbis navigantes, interdum reperti sunt, ut naves onerariæ vix duorum aut trium dierum spatio, etiamsi ventis secundis, inde ad terram deferri potuerint. Cymbas has quoque nervis balænarum consuunt, & juncturas bitumine quodam, uti dicitur, ex vesicis phocarum facto, obducunt (a) ut porfus aquis inviæ sint. In arce Uplandiæ *Stogflöster* ejusmodi cymbam etiam asservatam fuisse audivimus. Tales cymbas priscis temporibus, apud multos populos in usu fuisse constat; Strabo Libro III. Lucanusque Lib. IV. mentionem earum faciunt: Eis etiam Lusitani; veteresque Britanni, nec non Assyrii in fluviis Euphrate & Tigri usi sunt; forsan quoque majores nostri antiquis temporibus, hujusmodi lembis vehebantur. Præter has, Esquimaux scaphas quoque habent ligneas, diversæ magnitudinis, quæ plures simul ferre possunt homines, & pellibus quoque obtectæ sunt; his ligneis non autem pelliceis cymbis feminæ navigare solent.

(a) *Ellis Voyage to Hudsons bay. pag. 134.*

§. VI.

IN ædium structura quoque Esquimaux cum his Ame-

stringunt,
ere queat.
n utraque
cymbam
na tempe-
unt: tam
antes, in-
vix duo-
ventis fe-
nt. Cym-
suunt, &
ex vesicis
rfus aquis
r ejusmo-
udivimus.
multos po-
III. Luca-
iunt: Eis
e non As-
nt; forsan
us, hujus-
Esquimaux
magnitu-
mines, &
non au-
lent.

Americanis Septentrionalibus non conveniunt, hi enim casae & mapalia ex corticibus arborum extruere solent, Esquimaux autem æstate sub dio plerumque morantur; (a) hyemalique tempore in specubus & cavernis subterraneis, quas instar antiquorum Troglodytarum excavare dicuntur, habitant; nonnullis quoque antra montium pro domibus sunt. Igne rarissime utuntur; & sunt qui tradunt, eos non nisi ad parandas pelles, ferrumque, quod vel ab Europæis sibi comparant, vel a navibus scaphisque piscatoriis ibi naufragium passis auferunt, tractandum, ignem adhibere. Ligna, quibus ignem alunt, mare plerumque ad illos ejicit, (b) quæ (ligna) in Oceano septentrionali copiose interdum reperiuntur, licet nondum plane exploratum sit, unde ventis agantur, quibusque in regionibus crescant. Eadem ratione, quæ omnibus fere Americanis ante adventum Europæorum communis fuit, hi quoque ignem excitare solent, nimirum duas particulas ligni exsiccatas terendo, donec flammam concipiant; pro fomite muscus exsiccatas iisdem inservit. (c) Pinguedinem phocarum pro oleo in lampadibus suis, ex ollari excavato factis adhibent; stercus autem anserinum exsiccatum ellychnii loco ipsis est; (d) his lampadibus hyeme in ædibus suis subterraneis utuntur. Usus pecorum & jumentorum æque ac alii Americani Septentrionales, hi quoque ignorant; canes solummodo eosque maximos, & lupis fere æquales, diversi coloris, cauda hirta, auribus erectis, nunquam

quam vero pendulis, possident: his animalibus cæteri quoque Americani gaudent. Canibus his Esquimaux hyemali tempore aliquando pro equis utuntur, hisque super glaciem vehi solent; res quoque varias ab iis ferendas curant: Qui mos in boreali parte Tatariaë & Russiaë, nec non quibusdam urbibus Bataviaë, aliisque locis observatur. Hic populus ad littora maris habitat nec unquam in locis mediterraneis & a mari procul remotis reperitur. Frigus in his terris, licet in Zona temperata Septentrionali sitis, est intensissimum, cujus causas varias reddiderunt varii. Ellisius eos, qui ultra fretum Hudsonis habitant, sub terra habitare negat, (e) his innixus argumentis, quod tota fere regio illa montibus constet, nec non quod frigore ita sit adstricta & durata, ut nullo modo possit excavari, quod num ita sit, pro certo affirmari non potest.

(a) Charlevoix Tomo V. pag. 263. (b) Ellis Voyage to Hudsons bay pag. 234. (c) Ibidem. (d) Ibidem (e) Ibidem pag. 235.

§. VII.

Licet Indi Occidentales venationibus & piscationibus se alant, tamen frumentum etiam quoddam, licet non ejusdem speciei ac Europæi, ferunt. Esquimaux autem Cererem prorsus negligunt, omnemque cibum e regno animali petunt; maxime piscibus, nec non carnibus phocarum & balæna-

balænarum, earumque pinguedine se sustentant. Quandoque etiam animalia terrestria, ut urfos, cervos aliaque sagittis conficiunt, eorumque carne vescuntur; præcipue autem piscibus carnibusque phocarum delectantur. Quidam illos cruda carne semper vesci dicunt, quidam vero eos interdum eam coquere nec non sole durare tradunt: Imo licet crudam carnem sæpe consumant, coctam tamen magis ipsis arridere, postmodum est observatum. (a) Quando Europæi panem, vinum aliaque alimenta ipsis offerunt, eadem assumere nolunt, nec prius gustare, quam Europæos ipsos eadem comedere vident; pisces autem carnesque salsas si acceperint, iisdem, ubi lingua prius gustaverant, libenter vescuntur. Ad vinum adustum appetendum nullo modo adduci potuerunt, & si quando illud gustaverint, statim ex ore exspuunt; reliqui autem feri Americani incredibili vini hujus cupiditate flagrant; multique populi ibi solum per immodicum hujus liquoris usum penitus fere sunt deleti. Interdum baccas rubi idæi & vaccinii (*hallon och blåbär*) eo tempore, quo hi fructus maturi sunt, comedunt. Carne boum sylvestrium quoque vescuntur, quam etiam Anglis ibi navigantibus, interdum vendidisse dicuntur. (b) Potus illorum aqua est, & eadem plerumque non dulcis, sed salissima, quam vehementi appetentia bibere visi sunt, quod singulare est & ab aliorum populorum consuetudine abhorret. Piscatum ituri, vesicam pinguedine phocarum repletam, haud a-

liter ac Europæi lagenam vini combusti gerunt, eamque pinguedinem tanta voluptate, ac Europæi vinum prædictum consumunt; Imo sæpe, omni pinguedine consumpta, vesicam dentibus rodere visi sunt. (c) Per experientiam forte, in tam frigido climate, salutarem hujus pinguedinis usum cognitum sibi habent; sicut etiam incolæ St. Childæ (quæ est insula quædam montosa juxta litora Scotiæ sita,) pinguedinem anseris Bassiani, Raji Synops. av. pag. 122. amare dicuntur. (d) Balænam captam statim ad litus deducunt, ibique pinguedinem ipsius excindunt, qua partim vescuntur, partim loco olei in lampadibus suis utuntur.

(a) *A voyage to Hudsons bay by the Clerck of California. V. l. pag 34.* (b) *Ibidem.* (c) *Ellis Voyage to Hudsons bay pag. 233.* (d) *Ibidem. pag. 234.*

§. VIII.

ANtequam Europæi has oras lustrarent, Esquimaux æque ac alii Americani omni carebant ferro. Attamen, non satis mirari possis ipsorum industriam & solertiam, qui ex variis rebus, quas proffus inutiles esse crederes, varia instrumenta admodum scite & ingeniose conficere norunt. (a) Ita secures, cultros aliaque ex lapidibus, dentibus Equi marini Raji, nec non cornibus Monodonis, quod animal ibi frequentissimum est, fabricantur. (b) Arcus solertissime ex pinu, nec non arbore, quæ Larex appellatur, parant; (c) nervos autem
ex

ex fibris cervorum, sagittas a ligno vel arundine, quas dentibus Odobeni sive Equi marini, nec non lapidibus, silice ossibusque, penuria ferri, exacuunt, & statim a tenera ætate his se exercent. Funditores quoque sunt peritissimi, lapidibusque e funda missis, quicquid voluerint, eminus certo ictu ferire possunt. (d) Lanceas, quibus phocas & balænas transfigunt, etiam dentibus Equi marini armant, præterea saccum ex pellibus phocarum confectum, sprituque repletum, funi illi, qui lanceæ adhæret, accurate alligant, cumque animal quoddam marinum lancea transfixum fugere cœperit, saccum & funem in libertatem undarum dimittunt, qui saccus spiritu repletus, fundum non petens, viam ipsis monstrat, qua animal spiculum in corpore gerens, ulterius persequantur. Pharetras ex pellibus phocarum, consarciunt, pilis extrorsum versis, nervisque cervorum & balænarum pro filo hic quoque utuntur. In quibusdam locis, supra sepulcra horum magnos acervos lapidum congestorum animadverterunt Europæi, teste Ellisio; in nonnullis montibus, lapides humana industria erecti conspiciuntur, sed in quem finem, ignoratur.

(a) *Ellis Voyage to Hudsons bay. pag. 231.* (b) *Ibidem* (c) *Ibidem pag. 138.* (d) *Ibidem pag. 134.*

§. IX.

Quod ad religionem cultumque divinum illorum attinet, plane incognitum adhuc est, num

num aliquam de Deo cognitionem habeant, qualisque sit illorum Theologia. Paucissimos illorum quodam tempore bello captorum religionem Christianam ægre adoptasse tradit Charlevoix Tom. II. pag. 97. Alii Americani Septentrionales solem pro maximo Deo habere dicuntur, illique sacrificia offerre; (a) aliam quoque post caducam hanc, vitam exspectare perhibentur, quam in terra amoenissima trans fluvium quendam sita sese obtenturos sperant, fluvium autem tigillo quodam lubricissimo, velut ponte se trajecturos credunt, & nisi caute hic incedant, in flumen præcipites ferri, nec unquam amplius in campos hos Elysios pervenire; Alii alias fovent superstitiones, aliosque sibi fingunt Deos. Imperii forma horum est ignota; refert quidem Charlevoix Tom. II. pag. 97. quod sine legibus, principibus, & omnis fere socialitatis expertes vitam degant; instar Cycloperum, quorum descriptionem dedit Poëtarum dux Homerus. *od. 1. 106.* Varii quoque ipsorum ritus & instituta adhuc in tenebris sunt, quandoquidem nemo extraneorum linguam illorum huc usque benecallet, quodque aliis populis parum admodum commercii cum hac gente intercedat. Quomodo matrimonia contrahant, num monogamia an vero polygamia, uti apud Americanos australiores, apud hos quoque Esquimaux obtineat? Quomodo corpora mortuorum tractare soleant: quæ annos vel tempora com.

(a) P. Charlevoix Tom. V. pag. 226.

computandi ratio illis sit familiaris? aliæque con-
suetudines illorum ad hæc tempora ignorantur.

§. X.

IN gratiam eorum, qui scire gestiunt an lingua
gentis descriptæ aliquam adfinitatem habeat,
vel cum lingua Lapponica, uti quidam volunt,
vel cum aliis linguis sive Europæis sive aliarum
nationum, Coronidis loco nonnulla vocabula Es-
quimatica addere voluimus.

Caput Niackok.

Oculi Killik, Schik.

Nasus Kring Jaak.

Auris Tschiu; Seuteck.

Dens, Ukak; Utgykmitte.

Crinis Nutschad; Niurack.

Os, Oris, Connack.

Manus Algeit.

Digitus Krinmenoet.

Pollex, Kuplo.

Pes, Eteket; Itickat.

Galx pedis Kingmeck.

Umbilicus Kaalesok.

Venter, Noohakaa.

Pectus, Sokkeock.

Sanguis Oouk.

Caro Noki.

Cor, Oumot.

Genu, Siitkok.

Cutis, Ammeaak.

Pater, Attatuak

Mater, Annanadha.

Frater, Nokaaak.

Anus, Vetula, Ninnouk.

Puer, Suosok.

Infans, Notaaouk.

Puella, Hongnack.

Vestimenta, Attische.

Femoralia, Kackleack.

Ocreæ, Kammek.

Pileus, Næssack.

Calcens, Itikkak.

Chirotheca, Poillack.

Arcus, Petikfik.

Sagitta, Kazo; Kaakjock.

Culter, Schavie; Schaveck.

Cymba, Kirack; Kajack.

Remus, Pauttick.

Acus, Midcut.
Sol, Schikonak; Sakaknak;
 Sockinock.
Luna, Tacok.
Stella, Ublojartaktuk.
Cælum, Taktuk; Nabu-
 jaksché.
Pluvia, Killaluk; Selalluk-
 tok.
Aqua Salsa, Tagaiok.
Aqua dulcis, Mamaçtomet.
Ignis, Ekoma.
Frigus, Ekeuktock.
Dies, Oupulluk.
Gras, Hou-ukpot.
Lux, Oupelock.
Æstas, ouafa.
Hiems, Ukink.
Avis, Kupernuaak.
Piscis, Ukiluk.
Ursus, Nongnouk.
Cervus, Tuktou.
Ganis, Krigmenock;
 Meckè; Timilok.
Vulpes, Terinneuck.
Lepus, Avignarkruk.
Phoca, Nætſchok.
Lupus, Am-mah-ok.
Carnu, Nock-zock.
Ovum, Manneiuk; Mannik.

**

**

Anser, Nocklok.
Aquila, Oukpick.
Salmo, Hallock.
Balena, kileluok.
Culex, Kiktoëalloktok.
arbor, Nopahtok.
Timidus, Ukzink.
Irasci, Nackquetock.
Clamare, Koquatuk.
Accede huc, Kileout.
Mortus, Tokorock.
Caco-Demon, Tonuock.
Comedere, Noëjuk.
Cibo se abstinere, Quelock-
 tok.
Sequi, Meletingaak.
Da mihi, Kileok.
Surge, Muckkeleout.
Dolere, Ningneoktuk.
Bonus, Näckuktok.
Festina, Twaweoait.
Impudens, Nokuetuk.
Ridere, Coangtuk.
Mentiris, Schukleruk.
Crassus, Epioluaak.
Unus, Kombuk.
Duo, Tigal.
Tres, Ke.
Quatuor, Miſſilagat.

**

**

.
k.
oktok.
ok.
k.
etock.
atuk.
eout.
ock,
onuoock.
k.
Quelock-
tok.
aak.
k.
eout.
oktuk.
ok.
oait.
etuk,
k.
leruk.
ak,
gat.

* * *

